vel maligna subtilitas prave intelligere persuaserit. suo potius ascribant vicio quam in hoc vel docentis impericiam vel scribentis accusent negligenciam, Non enim me huius operis auctorem sed quodammodo artificem profiteor. Alius enim quasi quedam sentenciarum semina iecit Nos ab alio iactata in unum velud corpus oracionis quodam labore coniecimus Si cui vero oracionis nostre ariditas displicuerit, Attendat queso nos pocius humili et simplici tam alte tamque subtilis theologie exposicioni operam dedisse quam rethoricis ornamentis parum intelligencie conferentibus et plus aures quam animum reficientibus intendisse.

Ad te igitur amice carissime cui omnia debeo hoc opusculum dirigere decrevi quod licet tanti viri illius videlicet hugonis auctoritate (!) imitatur tamen summum auctoritatis sue cumulum attigisse videbitur cum tuo cuius quasi singularem et suppremum favorem expectat, comprobatum fuerit examine.